

pidum & coloratum, gustu aut visu proprie dicto perceptibile, quod Keithus ipse concedit. Quod si vero a propria verborum significatione discedas, quid aliud superest, nisi quod jubentur homines cognoscere bonitatem divinam? Si emphasin in verbis metaphoricis urgeas, dicendum erit; juberi homines, ut recte ac diligenter, non obiter & quasi aliud agendo, meditentur, ac meditando cognoscant, experiantur & cum oblectatione percipiant bonitatem divinam: quæ quidem perceptio ipsius bonitatis divinæ, nascitur ex effectibus ejus ad animum revocatis, quod contextus docet: v. g. quod *Jehova exaudit quærentes*, quod *eripit eos ex omnibus timoribus*, v. 5. quod *respicientes seu confugientes ad illum, illuminantur, & facies eorum non afficitur pudore*. v. 6. quod *pauper clamans auditur a Deo, & ex omnibus angustiis servatur*, v. 7. quod *Angelus Jehovæ castra metatur circum timentes eum, & eripit eos*, v. 8. quod *non est penuria timentibus eum*, v. 10. quod *quærentes Jehovam non carent ullo bono*, v. 11. Atqui talis cognitio, gustus & visio bonitatis divinæ, non fit citra discursum, & ad genus *abstractivæ* cognitionis utique recte refertur. Nec male monuerunt Scripturarum scrutatores quidam, opponi *gustum & visum* illum negligentiae & stupiditati eorum hominum, qui rerum terrenarum curis intenti ac deliciis inescati, ad argumenta divinæ bonitatis tam multa tamque insignia, & ubivis obvia, aut oblata, non attendunt; sed quasi cæci aut lusci, objecta præsentia & clarissima non vident; quasi gustu destituti, ad præsentis epulas lautas & opiparas accedere ac dulcedinem earum explorare nolunt. Itaque gustum ipsum & visionem, hoc loco præcepta, inter genus accuratioris, abstractivæ tamen & discursivæ cognitionis consistere, recte omnino creditur.

XXIX. Eadem est ratio verborum Petri *1. Ep. Cap. 11, 3. si tamen gustastis, quam suavis sit Dominus*. Nam Apostolum ad verba Psalmi alludere manifestum est. Præterea vero nec illud negligi debet, quod Petrus respiciat in verbis illis ad *Evangelium* a se prædicatum, cujus præstantiam a sinceritate & efficacia nutriendi in vita spirituali antea commendaverat, sub nomine  
lactis